DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſeptimâ Januarii, anno Domini M. DCC. XLVI.

M. PETRO-JOANNE BURETTE, Antiquiori Scholæ Magiſtro, Regis Conſiliario Medico & Sub-Bibliothecario, Profeſſorum Regiorum Decano, è Regiâ Inſcriptionum & Humaniorum Litterarum Academiâ, & Regio Librorum Cenſore, Doctore Medico, Præſide.

An Gymnaſtica, Morborum contumacium optima plerumque Medicina?

I.



UT ſanitatem expeditus humorum placidè ferveſcentium circuitus, necnon idoneus fibrarum *tonus* efficiunt ac tuentur; ſic laxior vel ſtrictior harum textura, ut & illorum, aut nimis turgentium, aut effœtorum, reſtagnatio varios procreant morbos. Hi, vel citò ſua tempora percurrunt, & Acuti dicuntur; vel ægrotos pertinaciùs affligunt; modò eodem tenore, ut Paralyſis; modò periodicis acceſſionibus, ut Epilepſia, Quartana febris, Hyſterica paſſio; & longi, tardi, *Chronici* nuncupantur. Morborum diuturnitas, vel à contagioſâ labe extrinſecùs aſcitâ, nec niſi ſpeciali antidoto expugnandâ, pendet, ut in *Syphilide* cernere eſt: vel â vernaculo, ſi ſic loqui fas eſt, tam ſolidorum, quàm fluidorum vitio proficiſcitur. Tardarum hujus generis paſſionum, aliæ à celeribus perperàm judicatis veluti ſoboleſcunt; aliæ ultrò & per ſe oriuntur. Utrarumque cauſæ repetendæ ſunt, cùm à ſtaminibus partium ſenſim debilitatis, ut in Gonorrhœa & Diabete contingit: tùm à ſuccorum degenerum, in acorem ſæpè ſæpiùs vergentium, adeòque ſpiſſeſcentium cunctatione, vel inordinato motu; undè multiplices organorum, quibus alibilis lympha vel perficitur, vel diſtribuitur, obſtructiones. Cùm ſic humor iſte devius alicubi cumulatur, ut fibras à ſe invicem divellat eaſque dilaceret; indolis variæ tumores, vix aliter, quàm Chirurgiâ ſanabiles, progignit. Cùm paulatim canaliculorum, quibus circumfertur, lateribus tantùm accreſcit, ita ut poſtmodùm aut reſolvi habilis ſit, aut reſorberi; vel cùm in aliquâ corporis cavitate congeritur, ex quâ, ſive per patentes vias, ſive per cuniculos queat derivari: tunc Medicam opem expoſcit Prioris casûs offerunt exempla, Cachexia, Phthiſis, Cephalæa, Vertigo, Mania, Melancholia, Aſtma, Colica paſſio, Alvi-profluvia, Icterus, Lienis affectus, *Chloroſis*, Rheumatiſmus, Arthritis, Elephantiaſis, &c. poſterioris verò, Hydrops, Empyema, & quædam Renum ac Veſicæ affectiones. Horum omnium curationem eò ſapientiùs feliciùſque Medicus inſtituet, quò tutiùs atque jucundiùs proximas eorum cauſas debellare conabitur.

II.

EA morborum optima cenſenda eſt medela, quæ ad Naturæ ſanantis ingenium propiùs accedit, nec-non ex ipſius penu maximè depromitur. Naturæ vocabulo quid aliud hîc Medicis venit intelligendum, quàm corporis humani mirabilis fabrica, ſic comparata, ut ſtatim atque, quâvis de causâ, deflexit à ſanitatis æquilibrio, veluti ſponte ſuâ priſtinum ſtatum recuperare contendat. Sic, in acutis, natura medicatrix viribus totis inſurgens, aggreditur humorum inquinamenta, eorumque præviâ fermentatione domitorum ſecretionem faciliori viâ molitur. Eadem, ſub longis affectionibus, tota eſt in atterendis, emolliendis, atque diſſolvendis, quantùm valet, ſuccorum hærentium concretionibus; idque omnigenis fibrarum ſuccuſſibus efficere tentat. Idem penitùs Ars Naturæ ſapientis æmula præſtare nititur, nunc remediorum tam vacuantium quàm alterantium miniſterio, nunc ſolâ diætâ, ſeu ad ſanandum appoſitâ victûs ratione. Univerſum alterandi vacuandivè negotium, licèt ocyùs & efficaciùs aliquando morbidam cauſam profliget; periculoſæ tamen plenum opus aleæ meritò judicatur, ut & ægrotanti ſæpenumerò perquàm injucundum. Diæta verò, ut potè à naturali regimine minùs abludens, tutiorem ut plurimùm gratioremque decumbentibus ſanitatem promittit. Hujus ditionis ſunt Aër, Alimenta, Somnus & Vigilia, Motus & Quies, animi Pathemata, Excernendorum Retinendorumque modus: quæ cuncta prudenter adminiſtrata, non modò valetudinem ſartam tectamque ſervare nata ſunt; ſed & eandem labefactatam, ſenſim accîſis morborum radicibus, citrà ullum ægri diſcrimen aut faſtidium, inſtaurare. Verùm, inter hæc tam utilia ſanitatis ſubſidia, præſertim eminet ea Motûs ſpecies, quæ Exercitatio dicitur. Exercitationem deſcribunt Medici, Motum corporis humani paulò vehementiorem, partìm ſpontaneum, partìm ab agentibus externis mutuatum, cum reſpirationis immutatione, ſanitatis tuendæ, morborumque depellendorum gratiâ inſtitutum.

III.

GESTIONI tam ſalutari Gymnaſtica præeſt; Ars, à Veteribus exculta diligenter, ut à Recentioribus nimiùm neglecta. Hæc, vel univerſam corporis molem exagitat, modò violentiùs, ut in Lucta, Pancratio; modò remiſſiùs, ut in Saltatione, Natatione: vel certa membra peculiariter exercet; artus nimirùm ſuperiores, in Chironomiâ, variis Sphæriſticæ generibus, Pugilatu, Diſco, Halteribus, Acrocheiriſmo; inferiores, in Curſu, Saltu, Ambulatione; Thoracem, in ſpiritus cohibitione, Vociferatione, Cantu, Recitatione; partes Abdomine concluſas, in Equitatione, Geſtatione, &c. Ad Gymnaſticam omnigena non ſolùm Exercitia pertinent, ſed & inſuper quæcumque vel ad ea præparant, vel eadem ſtatim excipiunt; ut Balnea, tam calida, quàm frigida, Laconica, Frictiones, Unctiones, pulveris aſperſiones, & ſimilia. Hæc univerſa curandis longioribus morbis apprimè conducunt, quatenùs proximas eorum cauſas potenter adoriuntur. Sæpiùs namque repetitis muſculorum contractionibus, & vehementiùs identidem concuſſis viſceribus, ut in omnibus Exercitiis, variiſque eorum θεραπείαις, plus, minùs, uſu venit; vim *elaſticam* fibris, debitam torpentibus humoribus ἐνέργειαν paulatim reſtitui neceſſe eſt. Hinc redintegratis partium ſolidarum *oſcillationibus*, liquores validiùs propelluntur, perrumpuntur circuitûs obices, ſucci concreti diſſolvuntur, diſſoluti reſorbentur, per idonea glandularum incernicula demùm ſegregandi. Sicubi reſtagnent, è propriis effuſi conceptaculis, iteratâ partium ambientium compreſſione, cæcos earum meatus ſubire coguntur, quibus exitum ſibi quæritant. Uno verbo, Gymnaſtices ope, ciborum coctio juvatur, acceleratur ſucci nutritii diſtributio, variæ ſecretiones promoventur, ea præſertim, quæ fit per cutis ſpiracula, quæque maximi habenda eſt ad ſanitatem vitamque ipſam momenti. Porrò, cùm multiplex Exercitationum genus diverſæ Chronicorum affectuum indoli reſpondeat, ſapientis eſt Medici ſingula ſingulis ſic aptare, ut deſiderata indè curatio ſequatur. Sic morbis univerſum ſyſtema corporis afficientibus ea in medelam adhibeat Exercitia, quæ totam illius compagem excutiant: iis verò ægritudinibus, quæ certas duntaxat partes obſident, peculiari & propriâ hiſce morbis Gymnaſticâ opituletur.

IV.

TANTA eximiæ illius Artis efficacitas ad morbos longiores eradicandos, non inanis eſt ſpeculantis Phyſici, & vanis hypotheſibus nimiùm indulgentis conjectura; ſed

veritas præstantissimorum omnis ævi Medicorum experimentis & observationibus comprobata. Evolvantur Veterum, cùm Græcorum, tum Latinorum libri, de tardarum passionum curationibus pertractantes; nihil ibi reperitur Exercitatione frequentiùs ac feliciùs ad eam rem usurpatum. Sic Febres quartanas Ambulatione & Frictione curabat (*a*) *Galenus*; Vociferatione, (*b*) *Aëtius*: Cachexiam, Unctionibus, Fricationibus, Balneo, (*c*) *Celsus*: Phthisin & Atrophiam, ambulatione, (*d*) *Hippocrates*; Gestatione in lecticâ, & Navigatione litorariâ (*e*) *Celsus* (*f*) & *Cælius Aurelianus*; deambulatione, fricatione & lavacro (*g*) *Themison*. Ex Capitis & generis nervosi diuturnis affectionibus, Cephalææ inveteratæ Chironomiâ, Halteribus, Natatione marinâ, Saltu, ambulatione, gestatione, navigatione, Volutatione in arenâ succurrebat (*h*) *Aretæus*, Luctâ, ambulatione, Recitatione, Vectatione, Cursu, Chironomiâ, Retrogressu cum saltibus, Ductibus circulatis, (*i*) *Cælius Aurelianus*: Subsultibus, *Antyllus* apud (*k*) *Oribasium*: Vertigini, graviori Cantu, Pugilatione, cursu, saltu, gestatione, Disco, (*l*) *Aretæus*: Epilepsiæ, Chironomiâ, idem (*m*) Medicus; Sphæristicâ, gestatione in sella, deambulatione, vociferatione, (*n*) *Cælius Aurelianus*; Equitatione, (*o*) *Alexander Trallianus*: Insaniæ, ambulatione, cantu, recitatione, gestatione in vehiculo, (*p*) *Cælius Aurelianus*: Melancholiæ, luctâ, gestatione, deambulatione, inunctione, (*q*) *Aretæus* & (*r*) *Theodorus Priscianus*. Paralyticis, gestatione, halteribus, & natatione marinâ, (*s*) *Cælius Aurelianus* opem ferebat; Incubo laborantibus, gestatione: Surdis, equitatione, (*t*) *Alexander Trallianus*; Tremore affectis, Pilâ, unctionibus, fricationibus, acri ambulatione, (*u*) *Celsus*; Skiamachiâ, (*x*) *Antyllus*: linguæ & instrumenti vocalis Resolutioni, expiratione coacervatâ, & vociferatione, (*y*) *Celsus*, (*z*) *Paulus Ægineta*, & (*&*) *Aëtius*. Plerosque Thoracis morbos contumaciores Gymnastices auxilio similiter persanabant. Sic Asthmaticis, ut ambularent, spiritum cohiberent, gestarentur, vocem exercerent, peregrinarentur, navigarent, unctione, fricatione, ψυχρολουσίᾳ uterentur, imperabat (*aa*) *Cæl. Aurelianus*; (*bb*) *Theodorus Priscianus* verò, ut vestibus laneis obvoluti currerent. Hæmoptoïcis idem (*cc*) *Aurelianus* gestationem, deambulationem, navigationem præscribebat. Tussim ambulatione, cursu, retentione spiritûs, Lectione vehementi, acrocheïrismo, navigatione, natatione (*dd*) *Celsus* oppugnabat; spiritûs cohibitione (*ee*) *Galenus*. Jam verò, quod spectat ad chronicos infimi ventris affectus, Stomachi imbecillitati, Dyspepsiæ, Anorexiæ, Vomitui, Singulti, vociferatione, deambulatione sub divo, lavacro frigido medebantur (*ff*) *Antyllus*, (*gg*) *Aëtius*, (*hh*) *Cæl. Aurelianus*: Singultui peculiariter, sternutamento (*ii*) *Galenus*; ambulatione longâ & concitatâ, gestatione, & equitatione (*kk*) *Aëtius*: Cœliacæ passioni, chironomiâ, halteribus, vociferatione (*ll*) *Aretæus*; gestatione, ambulatione, peregrinatione, natatione, (*mm*) *Cæl. Aurelianus*: DiarrhϾ, equitatione, gestatione in vehiculo, (*nn*) *Celsus*: Colicis doloribus, sphæræ lusu, cursu, ambulatione, fricatione cum retentione spiritûs, unctione, gestatione, (*oo*) *Cæl. Aurelianus*: Ictero, gestatione, & navigatione (*pp*) idem Medicus; natatione frigidâ, (*qq*) *Celsus*: Hydropi; luctatione summis humeris, & deambulatione, (*rr*) *Hippocrates*; luctâ itidem, (*ss*) *Antyllus*; volutatione in pulvere, cursu, gestatione in vehiculo, (*tt*) *Aëtius*; equitatione, navigatione, gestatione in lectica, (*uu*) *Alex. Trallianus*; natatione marinâ, (*xx*) *Celsus*, nec-non ambulatione, cursu, gestatione: Spleneticis, luctatione summis humeris, & lignorum sectione per dies triginta, (*yy*) *Hippocrates*; deambulatione, gestatione, equitatione, vociferatione, cursu, (*zz*) *Aëtius* & (*&&*) *Theod. Priscianus*: Renum affectibus, cursu, (*aaa*) *Antyllus*: GonorrhϾ, cursu, idem (*bbb*) Medicus; ambulatione, gestatione, & balneo frigido, (*ccc*) *Aretæus*: menstruorum suppressioni, saltu, (*ddd*) *Hippocrates* & (*eee*) *Antyllus*. Ad externas corporis affectiones idem genus curationis usurpabant. Sic, verbi gratiâ, Ischiadicos, ambulatione, & gestatione in lecto agitabat (*fff*) *Hippocrates*; equitatione, (*ggg*) *Theod. Priscianus*: Arthriticos, halteribus, gestatione, ambulatione, vociferatione, natatione exercebat, (*hhh*) *Cæl. Aurelianus*. Ulcera crurum halteribus quoque curabat (*iii*) *Galenus*: Elephantiasin, cursu, Corycoboliâ, vociferatione, (*kkk*) *Aretæus*; cursu, (*lll*) *Celsus*; natatione & navigatione, (*mmm*) *Cæl. Aurelianus*; hæc, sed litorali, (*nnn*) *Aëtius*; (*ooo*) *Antillus* verò, natatione marinâ; ignem sacrum, ambulatione & gestatione, (*ppp*) *Celsus*: &c.

(a) *Ad Glaucon, l. 1. c. 12.*
(b) *Tetrab. 1. serm. 3. c. 5.*
(c) *L. 3. c. 22.*
(d) *De intern. affectionibus, sect. 11.*
(e) *L. 3. c. 21.*
(f) *Chron. l. 2. c. 14 & l. 3. c. 7.*
(g) *Cæl. Aurel. Chron. l. 3. c. 7.*
(h) *Chron. cur. l. 1. c. 2.*
(i) *Chron. l. 1. c. 1.*
(k) *Collect. l. 6. c. 31.*
(l) *Chron. cur. l. 1. c. 3.*
(m) *Ibid. c. 4.*
(n) *Chron. l. 1. c. 4.*
(o) *L. 1. c. 15.*
(p) *Chron. l. 1. c. 5.*
(q) *Chron. cur. l. 1. c. 5.*
(r) *Ad Timoth. l. 2. part 2. c. 5.*
(s) *Chron. l. 2. c. 1. l. 1. c. 3.*
(t) *L. 3. c. 6.*
(u) *L. 3. c. 27.*
(x) *Oribas. collect. l. 6. c. 29.*
(y) *L. 4. c. 4.*
(z) *L. 3. c. 18.*
(&) *Tetrab. 2. serm. 2. c. 52.*
(aa) *Chron. l. 3. c. 1.*
(bb) *Ad Timoth. l. 2. part. 2. c. 12.*
(cc) *Chron. l. 2. c. 13.*
(dd) *L. 4. c. 4.*
(ee) *De symptom. caus. l. 2. c. 4.*
(ff) *Oribas. collect. l. 6. c. 8.*
(gg) *Tetrab. 1. serm. 3. c. 5.*
(hh) *Cron. l. 3. c. 2.*
(ii) *Remed. parab. l. 1. c. 10.*
(kk) *Tetrab. 3. serm. 1. c. 5.*
(ll) *Chron. cur. l. 2. c. 7.*
(mm) *Chron. l. 4. c. 4.*
(nn) *L. 4. c. 19.*
(oo) *Chron. l. 4. c. 7.*
(pp) *Cron. l. 3. c. 5.*
(qq) *L. 3. 3. c. 24.*
(rr) *De internis affectionib. sect. 28. & 29.*
(ss) *Oribas. collect. l. 6. c. 28.*
(tt) *Tetrab. 2. serm. 4. c. 28. & 30.*
(uu) *L. 9. c. 3.*
(xx) *L. 3. c. 21.*
(yy) *De internis affectionib. sect. 33.*
(zz) *Tetrab. 3. serm. 2. c. 13.*
(&&) *Ad Timoth. l. 2. part. 2. c. 15.*
(aaa) *Orib. collect. l. 6. c. 22.*
(bbb) *Ibid.*
(ccc) *Chron. cur. l. 2. c. 5.*
(ddd) *De nat. pueri.*
(eee) *Orib. collect. l. 6. c. 31.*
(fff) *De internis affectiom. sect. 54. & 57.*
(ggg) *Ad Timoth. l. 2. part. 2. c. 21.*
(hhh) *Chron. l. 5. c. 2.*
(iii) *De compos. medic. per genera, c. 2.*
(kkk) *Chron. cur. l. 2. c. 13.*
(lll) *L. c. 26.*
(mmm) *Chron. l. 4. c. 1.*
(nnn) *Tetrab. 1. serm. 3. c. 6.*
(ooo) *Oribas. collect. l. 6. c. 27.*
(ppp) *L. 5. c. 28.*

V.

ATENIM, reclamant rei Gymnasticæ rudes Medici, quique Divam Salutem, ægris opem laturam, Tonstrinis potiùs & *Pharmacopoliis* autumant habitare, quàm Palæstris; Veteres quidem diuturnis ægritudinibus, varias Exercitationes adhibuere; verùm ut subsidiaria duntaxat præsidia, quæ curam præcipuam, vacuantibus & alterantibus institutam, aliquatenus promoverent, non quæ integram præstarent. Consulantur, inquiunt, leges ab antiquis Medicinæ Principibus sancitæ circa Morborum longiorum Therapeïan, eam ubique ab omnigenis Medicaminibus auspicandam censent; nec Gymnasticen advocant in auxilium, nisi ut curationi multùm jam affectæ manum ultimam imponant. Imò verò, longè aliter se res habet. Ad salutarem enim hanc artem utplurimum confugere jubent, cùm aliis remediis, propter morbi pervicaciam, parum omnino profecerit Medicus: sic, ut penes illos, præsidiorum ad singulas affectiones enumeratorum agmen Exercitia ferè claudant. Maximo sanè argumento, miram eis potestatem ad medendum Veteres tribuisse. Nam recensitis primùm validioribus remediis, alia subjungere levioris armaturæ, veluti paria perficiendæ curæ prioribus frustra tentatæ, ridiculum foret atque absurdum. Nec minùs ad sanandum efficacem Gymnasticam Recentiores experienriâ quotidianâ deprehendunt; utut eam, longâ desuetudine penè absoletam, vixdum à primo limine salutent. Sic Peregrinatione vel Navigatione susceptâ, Melancholicos, Tabidos, aliosve id genus ægrotantes sanitati restitutos videmus. Sic Sphæristicæ, Saltationi, & similibus operam dantes, cum tardis Passionibus rarò conflictantur. Quin & gravioribus Exercitiis, remigio, verbi gratiâ, fontes addicti, à pertinacioribus morbis, & nullo pharmaco devictis, sæpenumero convalescunt. Insuper Britanni, revocatis nuper in usum Balneis frigidis, adversùs iniquam valetudinem antiquitus tantopere decantatis, & juris Gymnastici, Hemicraniam, Paralysin, Asthma, Colicos dolores, Icterum, Hydropem, Ischuriam, Rheumatismum, Arthritin, Ischiada, Scabiem, Elephantiasin, aliosque ejusdem prosapiæ Morbos feliciter quotidiè percurant. Cùm itaque, & ratiocinio, & experientiâ, tam Veterum, quàm Neotericorum, abundè constet, Gymnasticen affectibus chronicis tutiùs & jucundiùs multò succurrere, quàm cætera præsidia; legitimâ consecutione deducitur.

Ergo Gymnastica Morborum contumacium optima plerumque Medicina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Bercher.

M. Urbanus de Vandenesse.

M. Theodorus Baron, rei Herbariæ Professor designatus.

M. Andræas Cantwel, Regiæ Societatis Londinensis Socius.

M. Benjamin-Ludovicus Lucas de Laurembert.

M. Leander Peaget.

M. Ludovicus-Hieronymus Cosnier.

M. Joannes-Ludovicus le Thieullier, Regis Consiliarius in majori Consilio, & in magnâ Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.

M. Nicolaus le Roy de Saint-Aignan.

Proponebat Parisiis, BARTHOLOMÆUS-TUSSANUS LE CLERC, Rothomagensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus; A. R. S. H. 1746, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1746.